

suspensus ob vitium incontinentiæ, quo fuerit cognitus laborare, scienter ausus fuerit celebrare divina, est deponendus non solum ab officio, sed etiam a beneficio. — 7. Suspensus a minori ordine non potest ad majores ascendere, nisi prius absolvatur. — 8. Suspensus ab ingressu ecclesiæ, si celebrat in ea, fit irregularis, et si moritur impenitens, durante suspensione, caret ecclesiastica sepultura. — 9. Suspensus ab officio, ordine et jurisdictione in uno loco, ubique est suspensus. — 10. Ordines et alii actus per suspensionem prohibiti, sunt validi, exceptis electionibus. — 11. Et exceptis actibus jurisdictionis, et per hoc absolute suspensus invalide absolvit, nisi ob suspensionem occultam sit error communis, ob quem ecclesia jurisdictionem supplet. — 12. Suspensio a divinis tempore appellationis est nulla.

(1. Si suspensus aliquem actum, a quo est suspensus, exerceat, graviter peccat, si materia est gravis et si, durante suspensione, actus ordinis exerceat, ipso facto incurrit irregularitatem, ut habetur in cap. 1 *De sentent. et re judicat.*, et cap. 1, *De sentent. excomm.*, in 6.

(2. Suspensus ab officio et beneficio non potest eligere, et est incapax beneficii ecclesiastici, et provisio ei facta est nulla, sicuti constat ex cap. *Cum dilectus*, *De consuetud.* Cum enim beneficium detur propter officium, non recte confertur ei qui officio præstare non potest. Cap. ult. *De clerico excomm. ministrant.*

(3. Suspensus ab ordine et beneficio, voluntarie et scienter violans suspensionem, præsertim celebrando, in perpetuum ab officio et beneficio est deponendus, ut colligitur ex cap. *Clerici*, et cap. *Latores*, *De clerico excomm.*

(4. Si suspensus a beneficio audeat se ingerere usurpando fructus ejusdem beneficii, graviter peccat, et tenetur ad illorum restitutionem; cum hac distinctione, quod si sint fructus præbendæ, sunt restituendi Ecclesiæ vel pauperibus; si vero sint fructus quotidianarum distributionum ob assistentiam divinis officiis, sunt restituendi iis qui astiterunt divinis officiis, juxta textum in c. *Si quis deinceps* 17, q. 4. (5. Et præter hoc onus restitutionis et grave peccatum usurpans hos fructus, contrahit perpetuam privationem beneficiorum, ex textu in cap. 1, § ultim., et cap. *Cupientes*, vers. *Cæterum*, *De elect.*, in 6.

(6. Si quis suspensus ob vitium incontinentiæ, quo fuerit cognitus laborare, scienter ausus fuerit celebrare divina, est deponendus, non solum ab officio, sed etiam a beneficio; sic expresse habetur in cap. *Ut clericorum*, verb. *Si quis*, *De vita et honestate clericor.*

(7. Suspensus a minore ordine non potest ad majores ascendere, nisi prius absolvatur, quia suspensus ab ordine inferiore censetur etiam suspensus a superiore, non vice versa; nam cui non licet quod minus est, non debet licere quod est majus, arg. l. *Legatorum*, § ultim., ff. *De interdictis*, ubi expresse habetur: « Est enim perquam ridiculum, eum qui minoribus honoribus pœnæ causa prohibitus est, ad majores aspirare; majori-

bus tamen prohibitus, minores petere non prohibetur. »

(8. Suspensus ab ingressu ecclesiæ, si celebrat in ea, fit irregularis, et si moritur impenitens, durante suspensione, caret ecclesiastica sepultura. Cap. *Is cui*, *De sentent. excomm.*, in 6.

(9. Suspensus ab officio, ordine et jurisdictione in uno loco, ubique est suspensus; ita ut nullibi possit exercere actus illius potestatis, a qua fuit suspensus, donec absolvatur; quia censura afficit immediate personam, ideoque eam comitatur etiam extra territorium ferentis, uti notant doctores cum Glossa in cap. *Pastoralis*, § *Verum*, *De appellat.*

(10. Sciendum tamen est quod ordines, et alii actus per suspensionem prohibiti, sunt validi, exceptis electionibus. Cap. *Cum dilectus*, *De consuetud.*, cap. *Cum inter* 16, *De election.* (11. Et exceptis actibus jurisdictionis, et per hoc absolute suspensus invalide absolvit; absolutio enim a sic suspensus data est nulla, nisi ob suspensionem occultam sit error communis, ob quem Ecclesia jurisdictionem supplet. Arg. can. *Infirmis* 1, caus. 3, quæst. 8, l. *Barbarius* 3, ff. *De officio prætor.*

NOTÆ ROMANI THEOLOGI.

Non sufficit error communis, sed requiritur etiam titulus coloratus, ut alias diximus.

RESPENSIO AUCTORIS.

Quamvis non parva sit controversia inter doctores, an sufficiat error communis sine titulo colorato, ut videre est in verb. *CONFESSARIUS*, art. 1, num. 38 ad 42, inclusive; conclusio tamen mea apertissime indicat, adesse in confessario absolute suspensus dictum titulum coloratum, cum expresse dicat: Absolutio enim a sic suspensus data, est nulla, nisi ob suspensionem occultam sit error communis, ob quem Ecclesia jurisdictionem supplet. Cum enim hic confessarius ante suspensionem occultam vere et realiter omnibus innotuerit, ut a legitimo superiore titulo requisito ad actum absolutionis munus se continue et publice exponens ad confessiones excipiendas, et superventa suspensio fuerit communiter occulta, certe sine alio expresso addito, ob hunc errorem communem Ecclesia supplet in hoc casu jurisdictionem. Frustra enim exprimitur, quod jam intelligitur, leg. *Cornelius* 69, ff. *De hæredibus instituendis*. Habetur etenim pro expresso quod tacite subintelligitur, l. *Fideicommissa* 11, § *Si filio*, ff. *De legatis* 111, cum similibus.

(12. Suspensio a divinis inflicta pendente appellatione declarata fuit invalida a sacra congr. Concil., in *Amalphantana* 10 Augusti 1724, apud *Thes. resol. sacr. congr. Concil.*, tom. III.

ARTICULUS VIII.

Suspensio quoad modos quibus tollitur.

SUMMARIUM.

1. Suspensio inflicta propter contumaciam cum hac lege tacita vel expressa, ut suspensus non possit prius absolvi quam a contumacia, seu inobe-

dientia recedat, tollitur per absolutionem. — 2. Dicta absolutio a tali suspensione juris potest dari ab episcopo vel alio quasi episcopali jurisdictione prædito, si non sit specialiter reservata Pontifici. — 3. Suspensio imposita ad determinatum tempus vel sub conditione, elapso tempore vel conditione adimpleta, eo ipso cessat per se ipsam sine alia superioris declaratione. — 4. Suspensio lata præcise ut pœna alicujus patrat delicti, tollitur per dispensationem, quæ dispensatio dari solum potest ab auctore canonis aut ejus successore, delegato vel superiore, non autem ab inferiore. — 5. Pro suspensionis absolutione nulla sunt præscripta determinata verba; unde sufficiunt quæcumque verba apta ad illam exprimendam, quocumque idiomate proferantur. — 6. Datur tamen forma adhiberi solita ex usu Ecclesiæ. — 7. Prius autem quam detur hæc absolutio, exigendum est ab absolvendo, ultra promissionem de cætero non committendi tale crimen, juramentum de stando mandatis Ecclesiæ. — 8. Et si crimen, propter quod incursa est suspensio, tangat tertiam personam, quod satisfaciat parti offensæ.

(1. Suspensio inflicta propter contumaciam, cum hac lege tacita vel expressa, ut suspensus non possit prius absolvi, quam a contumacia seu inobedientia recedat, tollitur per absolutionem. (2. Quæ absolutio a tali suspensione juris potest dari ab episcopo vel alio quasi episcopali jurisdictione prædito, si non sit specialiter reservata Pontifici. Arg. cap. *Nuper*, *De sentent. excomm.*, et cap. *Ex litteris*, *De constitut.*

(3. Suspensio imposita ad determinatum tempus, v. gr. ad annum, vel sub conditione: *Donec resipuerit*, elapso tempore vel conditione adimpleta, eo ipso cessat per se ipsam sine alia superioris declaratione. Sic

SUSPICIO.

Vide verb. JUDICIUM TEMERARIUM, a n. 13 ad 14.

SUSURRATIO.

Vide verb. DETRACTIO, art. 1, n. 10.

SYMBOLUM.

SUMMARIUM.

1. Symbolum unde sit dictum. — 2. Symbolum quid sit. — 3. Symbola principaliora sunt quatuor: nempe Apostolicum, Nicænum, Constantinopolitanum et sancti Athanasii. — 4. Symbolum Apostolicum est sic dictum, quia ab apostolis fuit confectum singulis suum articulum apponentibus. — 5. Quo ordine quisque apostolus suum apposuit articulum. — 6. Symbolum Nicænum quare sic dictum et confectum. — 7. Affertur ipsum symbolum Nicænum. — 8. Symbolum Constantinopolitanum quare sic dictum et confectum. — 9. Affertur ipsum Symbolum Constantinopolitanum. — 10. Ipsi symbolis fuit facta hæc additio *Filioque*, primum in concilio Toletano, et deinde confirmata ab aliis. — 11. Affertur symbolum cum tali additione *Filioque*, prout traditur a concilio Tridentino, et recitatur seu canitur in missa. — 12. Symbolum apostolicum cepit recitari in missa a tempore ipsorum apostolorum. — 13. Et idem apostolicum Symbolum re-

(1. Symbolum dictum est a *Syn*, quod est *simul*, et *Bolus*, quod est *morsellus*, quia nempe Symbolum apostolorum, quod est

FERRAR. VII.

Glossa recepta in Clem. 1, *De decimis*, verb. *Donec*, et in cap. *Quia sæpe*, *De elect.*, in 6, verb. *Donec*.

(4. Suspensio lata præcise ut pœna alicujus patrat delicti tollitur per dispensationem, quæ dispensatio dari solum potest ab auctore canonis, aut ejus successore, delegato vel superiore, non autem ab inferiore, sive suspensio lata sit a jure, sive lata ab homine, sive lata sit ad determinatum tempus, sive sine temporis limitatione, quia sicut legem superioris, ita et annexam ei pœnam inferior solvere non potest. Glossa in cap. *Cupientes*, § *Cæterum*, verb. *Suspensus*, *De elect.*, in 6.

(5. Pro suspensionis absolutione nulla sunt præscripta determinata verba, unde sufficiunt quæcumque verba apta ad illam exprimendam, quocumque idiomate proferantur. (6. Ex usu tamen Ecclesiæ consueto hæc, vel similis forma adhiberi solet: « Absolvo te a vinculo suspensionis, quod incurristi ob talem vel talem causam, et restituo te pristinae executioni tuorum ordinum vel officiorum. »

(7. Prius autem, quam detur hæc absolutio, exigendum est ab absolvendo, ultra promissionem de cætero non committendi tale crimen, juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, ut habetur in cap. *Super eo* 1, cap. *Venerabili* 52, *De sent. excomm.* (8. Et si crimen, propter quod incursa est suspensio, tangat tertiam personam, quod satisfaciat parti offensæ, ut habetur in cap. *Porro*, et in cap. *Parochianus*, *De sent. excommunicat.*

citatum fuit in missa apud Romanos seu in Ecclesia Romana plus quam mille annis, hoc est usque ad tempora Bened. VII, dicti VIII. — 14. In aliis autem ecclesiis loco Symboli apostolorum jam antea in missa cœperat recitari et cani Symbolum Nicænum juxta decretum sancti Marci Papæ, et deinde Symbolum Constantinopolitanum juxta decret. S. Damasi Papæ I. — 15. Consuetudo recitandi in missa Symbolum prius Apostolicum, deinde Nicænum et demum Constantinopolitanum asseritur a plurimis. — 16. Symbolum sancti Athanasii ab ipso compositum fuisse traditur tempore, quo Romam a Julio Papa vocatus fuit, ut calumniis adversariorum responderet. — 17. Symbolum sancti Athanasii laudabilius in choro recitatur stando. — 18. Plures magni nominis doctores negant tale symbolum esse genuinum fetum sancti Athanasii. — 19. Symbolum in quibus festis et missis sit dicendum, vel non, et cur ac quomodo? ad n. 51. — 52. Alia ad rem ad n. 54.

primum et a quo cætera appellantur symbola, confectum est ab omnibus simul apostolis, singulis eorum aliquem morsellum

seu particulam quamdam apponentibus. Sic Glossa in Rubr., titul. *De summa Trinitate* circa finem, et alia Glossa in cap. *Canones 1*, verb. *Apostolo*, distinct. 15, et canonistæ passim: non desunt tamen, qui dicant quod *symbolum* Græce sonet Latine *indicium*, et sic Symbolum fidei sit quoddam indicium, sive signum, vel tessera, aut nota Christianorum, quo veri fideles discernuntur ab infidelibus, nempe paganis, Judæis et hæreticis, sicut a simili tessera illa, quam milites assumere consueverunt ad discernendum socios ab hostibus et exploratoribus, Symbolum militare appellatur, ut docet Rufinus presbyter Aquileiens. fol. 169, in *Symboli Apostolici Commentar.*, paulo post initium, ibi: « Symbola distincta unusquisque dux suis militibus tradit, quæ Latine *signa* vel *indicia* nuncupantur, ut si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus symbolum prodat, si sit hostis vel socius. » Cardinal. Petra, tom. 1 *Comment.*, in constit. 2 Divi Leonis Magni, n. 6; card. Bellarm., Præfat. ad *Explicat. Symboli Apostolici*; Calepinus, verb. *Symbolum*, et alii.

(2. Symbolum in proposito est regula fidei, brevis, ac perfecta confessio, breve prædicationis indicium, brevis credendorum collectio. Ita in re Communis. Unde sanctus Augustinus, in lib. 1, *De Symbolo*, cap. 1, ait: « Est autem Catholica fides in Symbolo nota fidelibus, memoriæque mandata, quantum res passa est, brevitate sermonis, utque incipientibus atque lactentibus..... paucis verbis credendum constitueretur, quod multis verbis exponendum esset proficientibus, et ad divinam doctrinam..... surgentibus. »

(3. Symbola principaliora, in quibus substantialiter omnia alia continentur, quatuor sunt, nempe Symbolum Apostolicum, Symbolum Nicænum, Symbolum Constantinopolitanum et Symbolum sancti Athanasii, cujus tamen an ipse sanctus Athanasius fuerit auctor, multi dubitant, uti dicitur infra.

(4. Symbolum Apostolicum sic dicitur, quia confectum fuit ab apostolis, qui magistri orbis terrarum a Christo constituti, antequam separarentur ab invicem ad prædicanda cunctis gentibus mysteria fidei ab omnibus credenda, Spiritu sancto afflati singillatim conferendo suas sententias, illas in unam brevem summam duodecim articuloŕum collegerunt, ut sic quorum una erat fides, unum baptisma, una eademque esset Evangelicæ veritatis prædicatione per universum orbem diffusa, juxta illud propheticum *Psal. xviii, 5: In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.*

(88) Apostolos, antequam Evangelii gentibus annuntiandi causa ab invicem disjungerentur, veluti in concilio coactos de eudendo Symbolo, quod omnibus fidei Christianæ tessera esset, cogitasse, certissima est Irenæi, Tertulliani, Ambrosii cæterorumque veterum Patrum traditio, quam Laurentius Valla, Gerardus Vossius, Erasmus, idque genus hypercritici in dulcium vocare frustra conati

(5. In dicto igitur Symbolo singuli apostoli posuerunt suum articulum, et quamvis variant doctores in assignando ordine, quo quisque apostolus suum articulum posuit, inter omnes tamen verisimilior videtur ordo, quem tradit Doctor subtilis in 3, dist. 25, quæst. unica, § *Horum articuloŕum*. Sic sanctus Petrus posuit primum articulum, scilicet: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli et terræ; sanctus Joannes posuit secundum, scilicet: Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum; sanctus Jacobus Zebedæi posuit tertium, scilicet: Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine; sanctus Andreas posuit quartum, scilicet: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus; sanctus Philippus posuit quintum, scilicet: Descendit ad inferos; sanctus Thomas posuit sextum, scilicet: Tertia die resurrexit a mortuis; sanctus Bartholomæus posuit septimum, scilicet: Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; sanctus Matthæus posuit octavum, scilicet: Inde venturus est judicare vivos et mortuos; sanctus Jacobus Alphæi posuit nonum, scilicet: Credo in Spiritum sanctum; sanctus Simon Zelotes posuit decimum, scilicet: Sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem; sanctus Judas Jacobi undecimum, scilicet: Remissionem peccatorum; sanctus Matthias posuit duodecimum, scilicet: Carnis resurrectionem et vitam æternam. Et sic Scoti ordo fundatur in sacra Scriptura, nam *Actorum* cap. 1, vers. 13, hoc eodem ordine referuntur apostoli post Christi in cælos ascensionem, ibi: *Et cum introissent in cenaculum, ascenderunt, ubi manebat Petrus et Joannes, Jacobus et Andreas, Philippus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Jacobus Alphæi et Simon Zelotes et Judas Jacobi, et exinde cecidit sors super Matthiam, et adnumeratus est undecim apostolis, ibid., vers. 26.* Unde verosimilior est, quod singuli apostoli posuerint suos articulos in Symbolo ab ipsis confecto juxta ordinem post Christi ascensionem inter se observatum, et a sancto Luca hic *Actorum* cap. 1, n. 13, relatum (88).*

(6. Symbolum Nicænum sic dicitur, quia conditum fuit anno 325 sub sancto Silvestro Papa a trecentis decem et octo Patribus in primo concilio Nicæno, ad majorem et expressiorem fidei explicationem, atque expresse ad confutandas hæreses de novo insurgentes, ad quarum explicatam reprobationem Patres sanctæ generalis Nicænæ synodi nonnulla in suo Symbolo addiderunt verba ad Symbolum apostolorum, ut patet inductione Unde hic datur ad litteram, prout refertur a Ludovico

sunt. Vide Bollandianos mense Julio ad d. 17 ubi de apostolorum divisione agunt. Cætera, quæ de singulis apostolis singulos articulos prominentibus, deque ordine, quo quisque illos edidit, auctor narrat, incerta sunt atque antiquiora gravioraque, quibus confirmari jure possint, monumenta desiderant.

vico Bail, in *Summa conciliorum*, tom. II, part. 1 *Concilii Nicæni*, pag. 164.

Symbolum Nicæni concilii.

(7. *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei ex Patre natum unigenitum, id est ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero; natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, et quæ in cælo, et quæ in terra. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus, passus est, et resurrexit tertia die, et ascendit in cælos; iterum et venturus est judicare vivos et mortuos. Et in Spiritum sanctum. Eos autem, qui dicunt: Erat aliquando, quando non erat et antequam nasceretur, non erat, et quia ex iis, quæ non sunt, factus est, aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia.*

(8. Symbolum Constantinopolitanum sic dicitur, quia confectum fuit anno 381 sub Damaso Papa a centum quinquaginta Patribus in primo concilio Constantinopolitano, et dicto Symbolo Nicæno ad uberiorem adhuc et clariorem fidei explanationem, et novarum hæresum confutationem, quædam per primum generale concilium Constantinopolitanum denuo apposita fuerunt, prout clare patet intuenti, tum supra allatum Symbolum Nicænum, tum sequens Symbolum Constantinopolitanum, quod ad hunc finem hic etiam ad litteram datur, prout refertur ab eodem Bail, loco cit., prima parte *Concilii Constantinopolitani primi*, pag. 197.

(9. Symbolum concilii Constantinopolitani. *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibilium omnium et invisibilium conditorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia sæcula; Deum ex Deo; lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, homousion Patri, hoc est ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in cælo et in terra. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cælis, et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato passus ac sepultus; tertia die resurrexit secundum Scripturas; ascendit in cælos; sedet ad dexteram Patris, inde venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, ex Patre procedentem, et cum Patre et Filio adorandum, et conglorificandum, qui locutus est per prophetas: et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum baptismum in remissionem peccatorum. Et expectamus resurrectionem mortuorum et vitam futuri sæculi. Amen.*

(10. Quibus symbolis ad confutandum errorem Græcorum negantium processionem Spiritus sancti a Patre et Filio, facta fuit additio *Filioque* primum in concilio *Toletano 1*, anno 405 celebrato sub Innocentio Papa I, ubi dictum concilium in Symbolo (ut refertur in tomo primo *Conciliorum*) sic proficitur: « Credimus Spiritum quoque esse Paracletum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed a Patre, Filioque procedit. Est ergo ingenuus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, sed a Patre Filioque procedens. » Idemque statutum fuit in concilio *Ephesino 1*, celebrato contra Nestorium anno 431, sub Cœlestino Papa, et relato in can. *De Spiritu 38*, distinct. 5, De consecratione, ibi: « Nam Spiritus appellatus est veritatis, et veritas Christus est, unde et ab isto similiter sicut ex Patre procedit. » Et idipsum præter alia etiam in concilio generali *Lateranensi* sub Innocentio III, anno 1215 celebrato, fuit definitum, ac refertur in cap. *Firmiter 1*, § 1, *De summa Trinitate et fide catholica*, ibi: « At Spiritus sanctus pariter ab utroque..... procedens, » et cap. *Damnatus 2*, § *Nos autem*, eodem titulo, ibi: « Et sic eadem res est Pater, et Filius, nec non et Spiritus sanctus ab utroque procedens. » Et idem iterumque definitum fuit in concilio *Florentino* sub Eugenio IV, celebrato anno 1438 et 1439, et his verbis in decreto *Unionis* expressis: « Definimus insuper explicationem verborum illorum *Filioque* veritatis declarandæ gratia, et immittente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. » Et idem denique definitum, confirmatumque fuit in concilio *Tridentino* sub Paulo III, Julio III ac Pio IV contra Lutheri ac aliorum hæreticorum errores, nec non pro pace inter principes, ac reformatione Ecclesiæ, inchoato anno 1545, ac cum aliquandiu fuisset interruptum, finito tandem anno 1563. In cujus sessione III, in decreto *De Symbolo fidei* sic expresse habetur: « Symbolum fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum et unicum, contra quod portæ inferi nunquam prævaiebunt, totidem verbis, in omnibus ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit, quod quidem ejusmodi est.

(11. *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cæli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum; et ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cælis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos*